

Rechnung gibt / und den Wechsel ahn sich selbst oder seine
ordre stellen lasset / der wird vermög seines *indosséments*
 bey eräugnendem *fallissement* zwar mit *debitor*, jedoch nit
 seinem *principali*, es wäre dan daß er denselben darfür *del*
credere zu stehen sich verpflichtet hätte. *Facit ratio ex Jure*
communi, quo *mandatarius* absque *dolo* & *culpa* *exequens*
mandatum *calum* non præstat, *Zoëf. ff. mandati n. 17.* Quæ-
 stio enim adhuc est inter *Doctores* maximè *controverſa*, an
 usque adeo ad *levissimam culpam* præstandam sit *obligatus*?
 quâ de re videatur *Mull. ad Struv. d. tit. th. 10. lit. 2.*

- §. 8. Præsentans si intra legitimum tempus proteltari neglexerit,
 & litteræ fuerint acceptatæ, actionem ad consequendam so-
 lutionem tantum habet contra acceptantem, contra reliquos
 verò *indossantes* & *trassantem* omne jus amisit, *Dupuy cap.*
14. n. 1. Si non procuraverit *acceptationem*, nullum planè
 regressum habet, sed omne periculum & damnum pertinebit
 ad præsentantem. *Ludov. Einleith. zum W. P. cap. 4. §.*
51. Plura vid. sup. *Dissert. 10. §. 1.*

DISSERTATIO XIV.

De Causa finali Cambii.

Discussis præviè reliquis *causarum generibus* ad *cambii*
 nostri finem tanquam *metam* & *victoriam laboris* pro-
 pero, illumque cum *Bod. thes. 10. lit. a.* pono *duplicem*,
primarium scilicet & *secundarium*.

- §. 1. Finis primarius *cambii* est *publica utilitas*, propter quam
 à *Pio V. Pontifice* in ejus *constitutione* de *cambiis* confirma-
 tum est, *relucétque præprimis* in eo, quòd *beneficio cam-*
biorum

biorum supra modum facilitetur commerciorum usus, dum pecunia, quam aliàs mercatores variis itinerum molestiis & maris incommodis, vellatronum & Pyratarum incurfibus aliisque periculis & fortunæ casibus subijcere cogebantur, in tuto & sine periculo modicis expensis ad loca quæque remotissima transcribitur, Stypman. *de jur. marit.* §. *naut. cap. 8. n. 6.* Adde, quod propter solam nummismatum diversitatem (eo quod pecunia, quæ reperitur uno in loco, non expendatur in alio) non possent asportari necessaria pro provinciæ & incolarum subsistentiâ, negotium cambiale si tollas.

Finis secundarius cambii est *honestum* & *moderatum* l. §. 2. *crum*, quod mercatores propter pericula, expensas, laborem, aliâque onera conscribendarum E. G. litterarum correspondentiæ ex negotiatione suâ sperant, labor enim non vilioris est pretii quàm pecunia, l. 5. §. 1. l. 29. in pr. ff. pro socio, imò aliquando pretiosior, arg. l. 10. §. fin. ff. de pæn. & periculum pretio par censetur, l. 5. in pr. ff. de naut. fœn. cumque ii, qui cambiorum negotiationibus incumbunt, hoc ipso reipublicæ maximè prosint, commodum haud immeritò sentiunt, l. 5. §. 3. ff. de jur. immun.

Dixi *moderatum* & *honestum* ex justis pretiis, quibus cambia contrahuntur æstimandum, modus enim in qualibet reservandus est, l. 35. in pr. ff. de negot. gest. l. 30. in fin. de usuf. Aliàs si lucrum exorbitans sumeretur, usura committeretur, in quâ hypothesi intelligendi sunt Doctores, & Theologi, qui contractum hunc ut usurarium & illicitum damnant. Optimè igitur monet Navarr. *conf. 31. lib. 5. de usur.* Ut sibi caveant negotiatores, ne dum augendis in infinitum opibus in-

hiantes, iniquè cambiorum negotiationem exerceant, & vel duo, vel tria pro Cento lucrentur, atque ita præter poenam infernalem & æternam, temporalem quòque incurrant, & tria illa centúmque pariter atque simul perdant.

DISSERTATIO XV.

De Effectu & Modo procedendi ex cambio.

EX causis tandem sequitur effectus, qui principaliter semper attenditur, & in omnibus maximè considerari meretur, *l. 104. ff. de verb. obligat. l. 1. ff. ad l. Corneliam, de fidejuss.* ubi Gloss. & DD. communiter.

§. 1. Est autem effectus nobilissimus hujus contractus actio, quam producit, & ex cambio dicitur, sicuti enim emptio, venditio, locatio, conductio, & reliqui contractus proprium nomen & formam in jure civili habentes producant actionem suo nomini convenientem, *tot. tit. de act. empt.* Ita quòque ex hoc contractu nascitur actio, nomini congruens, *Bod. thes. II. lit. a. Rot. Gen. decis. 32. n. 4.* & civilis est, tanquam ex contractu nominato & jure recepto originem habens, *vid. dissert. 5. §. 2.* estque vel directa, vel utilis, vel contraria.

§. 2. Directa, quæ nascitur ratione causæ proximæ, si loco convento non fuerit soluta summa in litteris expressa, datur omnibus in cambiis nominatis quorumve interest. Et hinc (1.) remittenti. (2.) Ejus mandatario. (3.) Hæredibus contrafrassantem & ejus hæredem, acceptantem, fidejussorem, & constituentem, *Ludov. Einleib. zum B. P. cap. 1. §. 16.*

Utilis